UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, Anno M.DC.LXXXX.

Titvlvs XLV. De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61687

Visual Library

TITVLVS XLIV.

DE CUSTODIA EUCHARISTIÆ, CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTORUM.

EUcharistiam, & sacrum Chrisma fideliter custodienda ex *c. 1.* habetur, & nulla facilè suppellectilia Clericorum, aut laicorum in Ecclesia asservanda, nisi gravis necessitas belli, aut incendij v. g. urgeat. *ex c. 2. h. t.* patet.

TITVLVS XLV.

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

DUo sunt, quæ in hoc titulo decidunntur 1. quòd nullus publico cultu, ut Sanctus sit colendus, nisi à Summo Pontifice fuerit canonizatus, sive quod idem est, nisi post præmissam diligentem, & accuratam examinationem super vitæ, morumque probitate, & miraculorum, sine quibus nulla fit canonizatio hodie, veritate à Summo Pontifice albo sanctorum adscriptus fuerit, ac ut sanctus ab omnibus colendus, declaratus, *c. 1. h. t.* vel certè de personæ talis sanctitate per traditionem, & universalem Ecclesiæ consensum constet, quæ solet esse æquivalenter canonizatio. Et hinc habetur, quòd soli Summo Pontifici, non autem Episcopo, nec pro sua diœcesi canonizare hodie concessum sit (quidquid olim praxis habuerit) ob multas fraudes cavendas, & plures alias rationes, quæ cuivis facilè occurrent. 2. Decidit etiam, quod sanctorum reliquiæ non tantùm non debeant venales exponi (quia res sacræ non sunt pretio temporali æstimabiles) sed nec passim & indifferenter ostendi, & si antiquæ sint, extra capsam, cui sunt inclusæ, nõ sint ostendendæ, ne detur scilicet pluribus maledicis occasio, scabiosè, & irreverenter de sanctis loquendi, aut videantur hæc talia fieri quæstûs causa &c. Si verò de novo sint inventæ, publicè non exponantur, nisi auctoritate Summi Pontificis sint approbatæ *c. 2. h. t.* aut nisi certò constet illas, quæ de novo repertæ sunt, esse alicujus sancti jam olim ab Ecclesia approbati; quarum tamen, antequam publicè exponantur, re-

cognitio ab Episcopo fieri debet, ut vult *Trident. Sess. 25. in Decret. de invocat. & reliq. sanct.* quia hac in re, quæ plurium sæpius hæreticorum ludibria patitur; cautè agendum vult Ecclesia.

TITULUS XLVI.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

EXaminatur etiam hujus tituli materia sufficienter à Theologia morali, cui ea relinquitur.

TITULUS XLVII.

DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

IN antiqua lege præceptum erat, de facienda post partum purificatione, post 40. vel 80. dies à partu, ante quod tempus non poterat templum ingredi puerpera: hodie tamen in nova lege Evangelica tale præceptum non extat, improbanda tamen devotio non est, ut ait Pontifex *in c. unic. h. t.* si quæ velit aliquamdiu ob reverentiam, ab ingressu Ecclesiæ ante purificationem publicè factam abstinere.

TITULUS XLVIII.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

§. I.

De Ecclesijs ædificandis.

POtest quidem quilibet in proprio fundo novam Ecclesiam adificare, duæ tamen conditiones illi observandæ sunt. 1. ut per hoc alteri Ecclesiæ non inferatur præjudicium. 2. ut intetveniat legitimi superioris, Episcopi scilicet, si in loco non exempto ædificat, auctoritas